

quod quaerit B. Episcopus, quatenus EE. VV. placuerit amicum de novissima proposita methodo fere iudicium, scilicet, utrum approbata illa forma tituli clericalis, qui quasi patrimonialis appellandus foret, haec tituli denominatio inseri possit in aliqua futura Pontificalis romani editione, super quo brevius notandum quod, licet Apostolica Sedes aliquando indulserit ut ad Sacros Ordines promoverentur titulis quibusdam subsidiariis ex. gr. ad titulum *Missionis, Servitii Ecclesiae, collegii, sufficientiae*, ut supra jam adnotatum habetur, et quamvis etiam nonnulli ex dictis titulis perpetuo concessi reperiantur, attamen nec unquam eum insimul indulsisse, ut tituli illi subsidiarii insererentur in Pontificali romano invenire licuit. Nec mirum, de peculiaribus enim indultis et de casibus particularibus legi generali adversantibus mentionem habere non decet uti monet vel ipse Ulpianus in Leg. 8. ff. de legib.

His pro munere adnotatis erit EE. VV. sequentia resolvere

Dubia:

I. *An sit concedendum Episcopo oratori indultum promovendi clericos ad s. Ordines absque legitimo ac sufficienti ordinationis titulo, ita ut sit approbanda institutio novae tituli ordinationis formae in casu?*

Et quatenus affirmative;

II. *An permittenda sit insertio ejusdem novae formae tituli in futura aliqua editione Pontificalis romani in casu?*

Sacra Congregatio die 24. Augusti 1850 resp. ad I.: Negative et providebitur in casibus particularibus.

Ad secundum: provisum in primo.

(Corresp. de Rome 1850 ed. II. N. 39.)

D) Sufficientiae.

Valentina.

Vd. p. 522. (Conc. Tr. S. 27 c. de ref.)

Magna paraeciarum copia, quibus abundat amplissima Dioecesis Valentina, licet multorum exigat Presbyterorum numerum vel pro coadjuvandis Parochis, ubi major est populi frequentia et nimia locorum distantia, juxta censuram *Sacri Concilii Tridentini* sess. 21. cap. 4 de reform., vel pro supplendis illorum vicibus in casu obitus aut infirmitatis et alterius legitimi impedimenti, ut praescribitur in sess. 6. cap. 2., sess. 21. cap. 6, et ss. 24. c. 18, attamen perpauca sunt, quibus committi possit hujus muneris implementum: formidantibus aliis asperum Parochianorum ingenium et grave curarum animarum pondus; aliis excusationem merentibus, utpote imperitis vel suorum beneficiorum obsequio mancipatis.

Hanc suae dioecesis angustiam Archiepiscopus Valentinus exposuit defuncto summo Pontifici Benedicto XIV. enixe rogans, ut sibi facultas indulgeretur sacris ordinibus initiandi *titulo Sufficientiae* digniores ex oppositoribus concurrentibus ad beneficia curata inibi octogesimum et nonagesimum numerum plerumque excedentibus fere omnibus in Sacra Theologia doctoribus et scientia morali instructis, qui parati invenirentur ad oeconomiae, vicarii et coadjutoris partes hujusmodi suscipiendas. Quo pacto indigentiae, ut ajebat, consuleretur Ecclesiarum parochialium et illi aptiores redditu quotidiano exercitio curae non diu carerent opportuno titulo curata vel simplicia beneficia assequendo, et si quibus congrua deesset, eam levius foret antistiti sua pecunia largiri, quam assiduis angoribus affici ob ministrorum penuriam in promovenda animarum salute.

Relatis autem hujusmodi precibus Summo Pontifici per secretarium supplicum Libellorum rescriptum prodiit ex audientia Sanctissimi die prima Novembris 1748, quo „*Sanctissimus benigne annuit pro facultate admittendi ad ordines sacros et sic per consequens ad Presbyteratum ad titulum sufficientiae vigintiquatuor ex magis idoneis oppositoribus ad curata: attenta informatione Archiepiscopi oratoris super necessitate ac attenta etiam informatione Nuntii Apostolici non obstantibus quibuscumque, quibus Sanctissimus pro hac vice derogavit.*“

Vigore igitur impetratae facultatis praefinitum numerum Presbyterorum ordinavit idem Archiepiscopus duodecim, quot lapsi sunt annorum tempore; sed necessitas, quae urgebat, vel numquam sublata est vel iterum supervenit; quapropter novas ille obtulit preces Sanctissimo Domino Nostro, quibus postulabat prioris indulti renovationem. At precibus ad hanc Sacram Congregationem remissis auditus fuit Emus Dominus Cardinalis Spinola tunc Nuntius Apostolicus Hispaniarum, qui attenta urgentia eiusdem necessitatis eorundemque motivorum concursu petitis annuendum consebat: nihilominus relata postulatione inter summaria precum in Congregatione diei 7. Junii mox praeteriti anni ob suffragiorum scissuram nulla capi potuit resolutio, quae tamen in Congregatione habita die 2. Augusti superioris anni prodiit pro rejectione instantiae edito rescripto: Lectum.

Redit nunc Archiepiscopus sperans suas preces meliorem exitum habituras sub formali dubii discussione. Et disputat legis vinculum et canonicarum sanctionum rigorem quandoque relaxandum esse, si aliqua urgeat necessitas vel publica concurrat utilitas, ut monuit *Sacrum Concilium*

Decreta authentica. Tom. III. Part. II.

Tridentinum sess. 25. cap. 18 de reform., et conciliare interdictum non ordinandi Presbyteros sine titulo, de quo in sess. 21. cap. 2. de reform., unam esse ex illis sanctionibus, quibus facile per sedem apostolicam dispensari solet, ut testatur *Corrad.* in prax. dispensat lib. 4 cap. 7. num. 39, producitque exempla indultorum, quae concessa fuerunt per breve, Presbyteros ordinandi titulo *servitii Ecclesiae*, ut Sixtus V. indulsit Patriarchae Venetiarum juxta relata per *Campanil.* divers. juris canon. rubr. 8. cap. 4 num. 14., et *Garz.* de Benefic. part. 2. cap. 5. num. 98.: sive promovendi ad sacros ordines titulo literaturae doctores in jure canonico vel in Sac. Theologia juxta rescriptum favore Cardinalis Portugalliae relatum per *Garz.* d. part. 2. cap. 5. n. 128, vel demum Sacerdotium adipiscendi titulo *missionis*, ut Alumnis Collegii Anglici in urbe concessit san. mem. Gregorius VIII. in sua constitutione 53 §. 13., quorum privilegia Alumnis Collegii Urbani Scotorum communicavit Clemens VIII. in sua constitutione 73. §. 5 et simili privilegio expresse decoravit Alumnos Collegii Fuldensis, Illyrici, Pragensis et Viennensis Urbanus VIII. in suis constitutionibus 64 §. 10, 66 §. 11., 67, §. 9 et 96 §. 12. Bullar. Cherub., uti etiam meminit *Campion.* de instr. ordin. cap. 41.

Et generalem in tota Germania vigere consuetudinem probat ordinandi Presbyteros titulo *mensae* sub promissione scilicet alicujus magnatis aut religiosae vel civilis communitatis ordinato subministrandi alimenta in casu egestatis, ubi praesertim in parochiis opus sit pluribus cooperantibus, nec frequentia sint beneficia pro titulo illis constituendo juxta testimonium *Engel.* in jus. canon. lib. primo tit. 14. de aetat. et qualit. et ord. num.

14, *Reiffenstuel.* lib. primo tit. 11. de temp. ordin. §. 3. num. 76, et *Leuren* lib. 1 tit. 11 de tempor. ord. quaest. 546 num. 1, et innuit etiam *Pyrhing.* d. lib. 1 tit. 11 sect. 1 num. 74.

Immo defendit in quacumque sacerdotum penuria usum invaluisse dispensandi super titulo ordinationis, si desint beneficia vel opes non suppetant constituendi patrimonium. Et licet ordinationes titulo *mensae* Cathedralis ob penuriam sacerdotum noluerit Episcopo Felitrano indefinite permittere Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium die 20. Februarii 1590, illi rescribendo ex oraculo Papae, ut recurreret in casibus particularibus, si quando opus esset parochialium vel aliarum Ecclesiarum indigentiae occurrere, ut refert *Pignatell.* consultat. canon. 77. num. 33. tom. 5., quandoque tamen permissae fuerunt ad simplicem sponsonem alicujus, qui promitteret, se necessaria Ordinandis subministraturum, ut ab hac Sacra Congregatione fieri consuevisse testantur *Campanil.* divers. jur. canon. rubr. 8. cag. 4. n. 6., *Paris.* de resignat. lib. 2 quaest. 6 num. 11, *Garz.* de Benef. part. 2. cap. 5. n. 97 et *Barbos.* de offic. et potest. Episc. par. 2. alleg. 19. n. 73. et in adnotat. ad Concil. sess. 21. cap. 2. num. 51.

Illisque addit recentiora hujus Sacrae Congregationis rescripta. In causa porro Sanctae Crucis de la Sierra in Judiis Orientalibus disputato dubio: *An Episcopo Sanctae Crucis de la Sierra sit indulgendum, ut promovere valeat ad sacros Ordines in civitate S. Laurentii de la Baranca eos, quos ipse necessarios judicaverint, licet nec Beneficium nec Pensionem nec Patrimonium obtineat?* die 8. Julii 1719 responsum fuit: Pro gratia, dummodo non excedat numerum duode-

narium, ut in lib. 69. decr. pag. 335, rursus in *Zacynthien. et Cephalonien.* 23. Julii 1729, cum Sacra Congregatio ob sacerdotum penuriam indulsisset antecessori Episcopo facultatem promovendi ad sacros Ordines quatuor Clericos titulo Servitii Ecclesiae et Successor Episcopus instaret pro renovatione indulti, quia praecedenter ordinatis provisum jam fuerat de beneficiis, relata instantia per summaria precum rescriptum fuit: Pro gratia juxta formam praecedentis indulti, ut in lib. 79. decret. pag. 364. Ac demum in *Aemonien.* 9. Julii 1757 supplicante Episcopo pro facultate ordinandi ad titulum *servitii Ecclesiae* Cathedralis binos Clericos in ea inservientes attenta penuria sacerdotum, rescriptum pariter fuit inter summaria precum: Pro gratia arbitrio Episcopi, ut in lib. 107. decret. pag. 286.

Allata autem exempla censet Archiepiscopus faciliorem sternere viam petito indulto, cum innuant stylum et praxim sanctae Sedis et sacrae hujus Congregationis facile dispensandi in re, de qua agitur, ut in similibus firmat *Piton.* disceptat. ecclesiast. 79. num. 7., maxime quia in proposito casu urgens necessitas Ecclesiarum parochialium et inopia Sacerdotum habilium in sua Dioecesi, qui adjuvtricem operam praestare possint aut velint regimini curae animarum, comprobata remanet, ut asserit ex praecedenti indulto san. mem. Benedicti XIV. et illam adhuc vigere testatur in sua relatione Emmus Dominus Cardinalis Spinola olim Nuncius Hispaniarum itaut arduum videri non debeat perseverante eadem causa renovationem indulti concedere sub tanti pontificis exemplo, cum etiam in praenotata *Zacynthien. et Cephalonien.* ob reviviscentiam prioris causae attenta ordinatorum promotione ad Be-

ficia sacra haec Congregatio renovaverit successori Episcopo indultum pridem concessum Antecessori.

Atque demum verendum non esse arbitratur de mendicitate ordinandorum, cui malo occurrere voluit Sacrum Concilium praescribendo titulum Beneficii vel patrimonii, quia, si reliqua omnia desent, illorum substantiationi satis consultum remanet ex obligatione, quae de jure imminet ordinanti ejusque successoribus alendi ordinatos sine titulo, donec aliunde provideantur, juxta censuram *textus in cap.: cum secundum 16. de praebend.*, quin ratio habenda sit de praedictio inde successoribus resultante, cum ex debito pastoralis sollicitudinis teneantur Episcopi indigentiae populi et curae Animarum providere de sufficienti ministrorum numero illisque alimenta praestare de honis Ecclesiae, ut notant *Fagnan.* in d. cap.: *cum secundum* num. 27. 30. et 32. de praebend., et *Pignatell.* consultat. 77. num. 2. tom. 5.

Erit itaque ab E.E. VV. definiendum: *An sit concedendum Archiepiscopo Valentino novum indultum promovendi ad sacros, etiam Presbyteratus, ordines Clericos magis idoneos ex oppositoribus ad curata titulo SUFFICIENTIAE ad instar praecedentis indulti concessi a san. mem. Benedicto XIV., itaut sit recedendum a Decisis in casu?*

S. C. C. resp.: Affirmative pro viginti quatuor presbyteris ad formam praecedentis indulti facto verbo cum SSmo.

Die 17. Januar. 1761.

m) Ad Tonsuram et Ordines Minores confer.

„*Beatissime Pater.* — Pius PP. VI. per literas apostolicas sub annulo

piscatoris motu proprio datas die 25. Junii anni 1777 prohibuerat, ne cui episcopus Melitensis primam tonsuram conferret nisi titulum substantiationis habenti. Re vera, quum in titulis hujusmodi describendis nonnisi beneficia, cappellanas, pensiones et patrimonium memoret, directe de regularibus non videtur locutus. Tamen ex illo tempore in dioecesi Melitensi regulares nonnisi cum titulo paupertatis nimirum ad tonsuram ordinesque minores promoveri consueverunt. Quumque hic titulus per solemnem professionem acquiratur, regulares numquam heic nisi post emissam votorum solemnem professionem sunt promoti.

Nunc vero quaedam immutatio in ordinibus religiosis inducitur; summus enim Pontifex Pius IX. feliciter regnans decreto s. Congregationis super satu regularium die 19. Martii 1857 praecipit, ut qui religiosam vitam in quocumque ordine profiteri vellet, emenso tyrocini anno ad vota simplicia dumtaxat admitteretur, post quorum emissionem adhuc ex ordine dimitti posset. Interim tamen permisit, ut superiores regularium literas dimissorias ad primam tonsuram ordinesque minores hujusmodi professis concedere possent.

Ex expositis sequentia dubia exorta sunt, solutionem quorum a Sanctitate Vestra episcopus Melitae humillime expostulat, nempe:

I. Utrum praedictus motus proprius Pii VI. respiciat regulares, ita ut sine titulo substantiationis ad primam tonsuram ordinesque minores nequeant Melitae promoveri? Et quatenus affirmative,

II. Utrum Sanctitas Vestra in supra memorato decreto censeatur hac in parte motui proprio Pii VI. derogare?

III. Sive motus proprius Pii VI.

regulares proprie non respiciat sive Sanctitas Vestra hac in parte illi derogaverit, quid dicendum, si professi vota simplicia, postquam tonsuram ordinesque minores susceperint, ab ordine dimittantur, eruntne recipiendi in clerum saecularem, ita ut habitum clericalem gestent et in susceptis ordinibus ministrent, quamvis careant titulo sustentationis?

„Ex audientia Sanctissimi habita resp. fuit ad

I. et II.: Regulares non comprehendi et etiam professos votorum simplicium (de quibus agitur) posse admitti ad primam tonsuram et ordines minores non obstante dicto motu proprio.

Ad III.: Affirmative in omnibus, nisi aliud iudicio episcopi obstet, sed curandum esse ut quam primum fieri poterit de praescripto titulo provideantur. Minime vero ad ordines sacros promoveri posse nisi praescriptum titulum habeant.

A. Archiep. Philippen. Secretarius.

Die 20. Jan. 1860.

S. TITUS.

Vd. S. Timotheus.

Prima die libera post quartam Januarii. In festo s. Titi episcopi confessoris. Duplex. Omnia de communi confessorum pontificum praeter sequentia.

Oratio.

Deus, qui beatum Titum Confessorem tuum atque pontificem apostolicis virtutibus decorasti, ejus meritis et intercessione concede, ut juste et pie viventes in hoc saeculo ad coelestem patriam pervenire mereamur. Per Dominum nostrum Jesum etc.

Lectioes primi nocturni de scriptura occurrente.

In II. nocturno. Lectio IV.

Titum Cretensium Episcopum vix Pauli Apostoli verbo christianae fidei sacramentis mysteriisque excultum ea sanctitatis luce Ecclesiae tunc vagienti effulsisse compertum est, ut inter ejusdem doctoris gentium discipulos meruerit cooptari. Adscitus in partem oneris praedicationis adeo evangelizandi ardore et fidelitate Paulo extitit carus, ut ipse, cum venisset Troadem propter Evangelium Christi testatus sit, non habuisse regem spiritui suo, eo quod Titum fratrem suum ibi non invenerit. Et paulo post Macedoniam petens rursus suam in eum charitatem ita exprimit: sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi.

R. Inveni David.

Lectio V.

Quam ob rem Corinthum ab Apostolo missus ea sapientia et lenitate legationis hujus munere functus est, quae praesertim de fidelium pietate eleemosynas colligendas ad sublevandam Ecclesiae Haebraeorum inopiam spectabat, ut Corinthios non solum in Christi fide continuerit, sed etiam desiderium, fletum, aemulationem inter eos pro Paulo, qui illos primus instituit, excitaverit. Ad effundendam interim inter gentes linguas locisque distinctas divini verbi semen pluribus terra marique itineribus relectis magnaque animi firmitate pro Crucis trophaeo laboribusque exantlatis una cum duce Paulo Cretae insulam appulit. Cum porro huic Ecclesiae Episcopus ab ipso Apostolo delectus esset, dubitandum non est, quin in eo munere ita versatus sit, ut juxta ipse Pauli praeceptoris monita se ipsum praebuerit exemplum bonorum

operum in doctrina, in integritate, in gravitate.

R. Posui adjutorium.

Lectio IV.

Itaque tamquam lucerna inter eos, qui in idololatriae et mendaciorum tenebris veluti in umbra mortis sedebant, religionis jubar diffudit. Traditur eum inter Dalmatas, ut Crucis vexillum explicaret, strenue consudasse. Tandem meritorum et dierum plenus quarto supra nonagesimum anno pridie Nonas Januarii pretiosa justorum morte obdormivit in Domino et sepultus est in Ecclesia, ubi ab Apostolo Minister fuerat constitutus. Hujus nomen a Sancto Joanne Chrysostomo et a Sancto Hieronymo praecipue commendatum, Martyrologio Romano eadem die inscriptum legitur; verum pro ejus die festo cum officio et missa in catholico orbe recolendo ab utroque clero primam insequentem diem liberam Summus Pontifex Pius Nonus assignavit.

R. Iste est.

In III. nocturno *Lectioes de Homilia Sancti Gregorii Papae in Evangelium: Designavit Dominus, de communi Evangelistarum cum RR. de communi Confessorum Pontificum. In Missa: Statuit; oratio et evangelium ut in officio.*

Urbis et Orbis.

Suprascriptas lectiones proprias alias a Sacrorum Rituum Congregatione approbatas cum oratione in honorem Sancti Titi Episcopi Confessoris Sanctissimus Dominus noster Pius IX. Pontifex Maximus addendas indulsit Officio et Missae de communi Confessorum Pontificum de eodem sancto Episcopo Confessore, cujus festum sub ritu duplici minori recolendum mandavit hac ipsa die in universa

Ecclesia die prima, quae libera vacasset post pridie Nonas Januarii, servatis Rubricis. Quibuscumque in contrarium disponentibus minime obstantibus..

Die 18. Maii 1854.

J. Card. Antonelli.

Loco † Sigilli.

(Anal. P. 1854 p. 1048.)

TOBALEA ALTARIS.

(Materia.)

Ad dubium: an Tobaleae altarium confici possint ex tela quadam composita ex lino et gossipio subtilissimo quem vocant Mussulo? S. C. resp.: *Lectum*. n. 2267 die 15. Mart. 1664.

Vd.: *Paramenta* (materia, decr. n. 4563.

TONSURA.

1) Num Abbas non ab Episcopo sed ab aliis Abbatibus et PP. Generalibus benedictus possit conferre Tonsuram et ordines minores suis subditis?

Vd.: *Ordines minor.* (Abbas non bened. etc.)

2) Aetas.

Mirapicen.

„Qui tonsuram petunt induuntur publice in templo veste clericali, sub qua deinde per sex menses in seminario nostro instituti tonsura tandem donantur, si tamen decimum quintum aut decimum sextum annum attigerint. Eam enim aetatem requirimus, ut multi abusus vitentur.“

S. C. resp.: Negative.

Die 3. Julii 1677.

(Anal. J. P. 1864 p. 751.)

Requiritur in Tonsurato aetas annorum 14. ad ecclesiasticum obtinendum beneficium *ex Sacr. Concil. Trident. sess. 23. cap. 6 de reform.*,